CASPARI DE PANCERA

ITALI GORITIENSIS

AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ MAGISTRI

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

USUM CORTICIS PERUVIANI IN INTERMITTENTIBUS.

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

Admodum Rever. Clarissimi, ac Magnifici Domini

UNIVERSITATIS

RECTORIS,

Illustrissimi, Reverendissimi, ac Amplissimi Domini

UNIVERSITATIS

CANCELLARII,

Perill. Spectabilis, ac Expertiss. D. Incl. Facult. Med.

DIRECTORIS;

Perill. Spectab. ac Clariss. D. ejusdem Facult. Med.

DECANI,

nec non

CLARISSIMORUM DOMINORUM

MEDICINÆ PROFESSORUM,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA HONORIBUS

Privilegiisque Doctoralibus legitime consequendis.

MENSE DECEMBR. ANNO M. DCC. LXXV.

Publicæ Disquisitioni submittit.

TYPIS TYRNAVIENSIBUS, ANNO UT SUPRA.

PRÆNOBILI

DOMINO, DOMINO

LEONARDO

DE

BUGLIONI

SACRÆ CÆSAREO REG. APOST.

MAJESTATIS

PER TOTUM COMITATUM

GORITIENSEM ET GRADISCANUM

SYLVARUM

PRÆFECTO

&c. &c.

PATRONO

MEO

GRATIOSISSIMO.

PRÆNOBILIS

DOMINE!

Cum plura ſint, quibus animum meum æternum TIBI *devinctum tenebis; tum id vel maxime magnorum beneficiorum numero accenſendum eſt, quod ſpes mihi data ſit, ulteriores favores* TUOS *experiendi, & for-*

tunam meam ſub Anſpiciis TUIS *promovendi. Patere itaque, ut hos qualescunque primores labores meos* TUO *Nomini ſacros inſcribam, ut ſic alicujus ſaltem gratitudinis ſpecimen exhibeam qui ſum*

PRÆNOBILIS
NOMINIS TUI

Cultor Indefeſſus
CASPARUS DE PANCERA.

PRÆFATIO.



Um per anguſtias temporis longius Opuſculum conficere non licuerit, brevem hanc de uſu Corticis in Intermittentibus, a Magnifico ad cineres usque venerando Præceptore meo optimo de HAEN, toties inculcato, DISSERTATIONEM proferre in animum induxi; ſpero nihilominus a Lectore benevolis excipiendam manibus, cum ſic in Compendio contineantur, quæ de ejus uſu in Intermittentibus dici poſſunt.

Littera quæcunque eſt toto tibi lecta libello
Eſt mihi ſollicitæ tempore facta viæ.

Ovid. Triſtium Lib. I. Eleg. X.





ortex Peruvianus ex arbore A) montis CAJANUMÆ non procul LOXA diſſiti teſtante D. de la CONDAMINE optimus, Americanis jam diu notus qui remedii hujus uſum a Leonibus edoćti dicuntur, de quibus Hiſtoriæ Naturalis Scriptores habent, eos febribus intermittentibus ſubjećtos eſſe; atque cum Americæ incolæ ab iis animalibus corticem hujus arboris deradi & devorari viderent, adhibebant eundem ad debellandas intermittentes, quæ illis in regionibus multum graſſantur.

A) Cinchona officinalis LINN.



Egregium hoc remedium primum ab Americæ incolis uxori Comitis de CINCHON, qui in regno Peruviano Regis locum tenuit, an. 1638. fuit oblatum, quæ cum inde a febre pertinaci convaluisset, magnam quantitatem inter ægrotos distribuit, ministerio Jesuitarum ad hoc negotium usa.

Per eosdem patres & dein post biennium Comite CINCHON Europam repetente allatus una hic cortex apud Europæos CHINACHINA vocabatur: modo cortex simpliciter, modo pulvis comitissæ, jam Jesuitarum, jam Patrum, jam Cardinalis audit.

CASCARILLÆ a) cortex Peruviano multum similis atque inde CHINA SPURIA a nonnullis dictus, fraude mercatorum, uti & alii cortices, non raro veræ Chinæ admixti, ejus vires notabiliter infringunt,

gunt,

a) Croton Cascarillæ LINN. Sp. pl. 1424.

gunt, ut proinde permultum intersit corticem Peruvianum ab aliis corticibus dignoscere. Noscitur autem esse genuinus probusque cortex Peruvianus, teste WERLHOF, qui masticatus gustum acrimonia & amarore multis nauseoso cum aliqua adstrictione ferit, sine eximie austera acerbitate, sapore, qui ex acri & amaro, velut leniter aromaticus sit, & peculiari modo aliquantum mucidus: cui sapori odor etiam exacte respondet, sine corruptionis putridæ notis.

Corticem, adhibitis prius remediis in causas procatarcticas tollendas, esse remedium febrium intermittentium causam proegumenam certo fugans in constanti experientia est, illudque ex sua indole innocuum esse, extra omne dubium positum. Verum uti optima quævis sic & cortex Peruvianus imprudenti usu nocere poterit, adeoque requiritur,

 

tur, ut prius ſevero examine inquiratur, an aliquid lateat in corpore, quod febrim requirat, ut cito & tuto tolli poſſit, uti etiam, an a febre, ſi relinquatur, expectari poſſit inſignis quædam utilitas ſive in tollendis inveteratis malis, ſive in mutando corpore, ſic ut ad firmam valetudinem vel & longævitatem diſponatur, in tali caſu a cortice abſtinendum foret. Contra vero ſi metuendum videatur; ne per febrim diutius relictam tales mutationes in corpore fierent, a quibus Chronici morbi aliaque mala expectanda forent, corticis uſus quanto citius etiam conveniet; ſic v. g. ſi juvenis robuſtus quartana pura, nullis malis ſymptomatibus ſtipata corripiatur ſuique juris ſit æger & debito vitæ regimine uti poſſit, præſtabit ſemper, ut hæc febris relinquatur, cum conſtans obſervatio docuerit Medicos corpus per talem febrim in melius mutari. Contra

vero

vero ſi debilis ſenex vel profuſiſſimis ſudoribus diffluens a leviſſima cauſa, ſimili febre laboret, cortice Peruviano opus erit. His omnibus rite perpenſis ſequentes regulæ rectum uſum corticis docebunt:

1mo: Rarus eſſe ſolet corticis uſus in intermittentibus vernis, quia faciles ſunt & ſponte ſua prævie abire ſolent; idem obſervari debet, ſi autumnalis non adeo vehemens fuerit, ut inde ſubita debilitas, vel alia mala metuenda videantur, quo in caſu cortice abſtinere præſtat. Etenim cortex, uti optime monuit SYDENHAMUS, ſæpe inducias potius impetret, quam febrim debellet, quæ per duas tresve ſeptimanas deliteſcens recrudeſcere ſolet.

2do: Si æger vel ob propriam temperiem, ætatem provectam, vel morbi

in-

 

intenſitatem adeo debilitatus fuerit, ut metus adſit, ne pluribus & validioribus paroxysmis deficeret, cortex Peruvianus adhiberi debet, licet etiam alia ſigna adfuerint, quæ ejus uſum prohibere videantur, ſic enim inducias impetramus ſummo ægrorum emolumento, ut reditura poſtea febris, impetum & moleſtiam absque periculo ſuſtinere poſſint: libero autem a febre tempore utimur remediis viſcerum obſtructiones ſolventibus aliaque mala emendantibus, cui ſcopo ipſa febris a natura toties deſtinatur; magna enim tunc ſpes eſt, ut poſt duas tresve ſeptimanas, refocillatis jam ægri viribus, reditura febris brevi ſpatio reliquum perficiat ſicque integerrima redeat ſanitas. Maximi momenti hæc regula eſt, qua neglecta mors quandoque, ſæpius autem dira penitus ſymptomata, ſecuta fuerunt, ipſa certe febre longe pejora. Illi namque medici, quibus

bus adeo odiosum febris nomen est, ut illico tollendam ubique & semper velint, etiam in vernis tertianis uno, alterove tantum paroxysmo defunctis, corticem dederunt statim, quo in ipsis quasi incunabulis febrim supprimerent, ignari, febrim sæpe præsidio esse, ut CELSUS optime monuit; & funestos refert immortalis van SWIETEN præstare hujus exhibitionis casus. Illa ipsa autem paulo ante allata regula non adeo universalis est, quin exceptionem patiatur; ubi enim singuli febris paroxysmi periculoso quodam symptomate stipantur, nonnisi cum febre tollendo, cogimur haud raro corticem adhibere citius, quem casum ipse van SWIETEN in curanda nobili in genere nervoso debili femina expertus est.

3tio: Ubi signa non adsunt inflammationis internæ, cortici Peruviano lo-

cus

 

cus eſſe poteſt; ſed ubi dolor fixus, acutus, continuus, ſenſus ardoris interni aliaque inflammationis internæ ſigna adſunt, cortice abſtinendum erit. Dato enim cortice hoc in caſu febris aufertur, qua ablata, manebit in corpore illud, quod per febrim ipſam maturandum & reſolvendum erat.

4to: Præſente vel minima ſuſpicione collecti alicubi puris, cortex adhibendus non eſt; per talem enim febrim fit hujus puris concoctio, quæ ſi cortice Peruviano dato tollatur, peſſime ſemper ægri ſe habent, & ſummam patiuntur anxietatem.

5to. Si pariter vel minima fuerit obſtructorum viſcerum ſuſpicio, cortex uſurpandus non eſt. Tales caſus febrium poſt fervidiſſimas æſtates graſſantium memorat van SWIETEN, addita

nota,

nota, pessime corticis usum in iisdem cessisse.

6to: Poscunt corticis usum morbi alii vere febriles, sed sub specie alterius morbi ludentes; ita periodice recurrens dolor capitis, dentium; periodice infestans apoplexia, colica, palpitatio cordis & alii quam plurimi morbi. His pulsus minime febrilis; noscuntur ex urina lateritia, & si absoluta periodo rursus affligat; medici hos morbos febres larvatas dicere amant.

7mo: Contra indicatur etiam usus corticis, ubi febris ad evacuationes institutas increscit, aut ægritudo febre depulsa augetur, aut ægri ex peculiari idiosyncrasia corticem Peruvianum non ferunt. An icterus intermittenti junctus Chinæchinæ excludat usum? diu disputatum fuit, verum pensitatis utrius-

 

que ſententiæ argumentis concludit Spe-
ctab. ac Clariſſ. D. WENCESLAUS de TRNKA „corticis Peruviani uſum in febre intermittente, cum icterico faciei colore, non eſſe eo usque differendum, donec omnis ille color alienus evaneſcat: ſed ſi nulla alia evidentia obſtructi hepatis indicia præſto ſint, & ſi debita doſi ac tempore ſolventium uſus præmiſſus ad colorem dictum delendum nil potuit, febre ſimul perſtante, corticem Peruvianum magna doſi eſſe porrigendum, inprimis dum aliud quid ejusdem uſum urget. „

Patet ergo ex hactenus dictis corticem Peruvianum ex ſua indole in manu prudentis Medici remedium eſſe innocuum, ſed ſimul etiam affirmare licet eundem tollere febrim ſolam, & ſublata febre manere illas mutationes ſolidarum & fluidarum partium corporis,

quæ

quæ vel ante febrim præextiterant nondum ſublatæ per febrim, vel febris tempore aut per febrim ipſam productæ fuerant: ubi ergo febris inſervire poterat, quod toties fit, ut felicius & citius tollerentur vel emendarentur illa, quæ in ſolidis aut fluidis degeneraverant a ſanitatis legibus, corticis Peruviani uſus nocet; nec non, ſi a febre intermittente ſperari poſſit inveterati cujusdam mali cura, vel corporis ad longævitatem vel firmiorem ſanitatem diſpoſitio.

Sequitur jam ut videamus, quænam in uſu corticis Peruviani notanda ſint, poſtquam conſtitit, febrim per hoc remedium tollendam vel ſaltem ad tempus ſopiendam eſſe, ut induciis ſic impetratis fractæ ægrorum vires reſtaurari poſſint.

Cortex varia forma, varia doſi, pro ratione ipſius febris, pro ratione

 

ſubjectorum adminiſtratur ; ita datur in ſubſtantia, i. e. forma pulveris, aut addito melle vel ſyrupo quodam officinali in electuarium cogitur, datur forma extracti cum oxymelle ſimplici, paratur inde ſal per triturationem, eſſentialis dictus ; parant nonnulli infuſum aquoſum vel vinoſum, aliis arridet decoctum paratum idque vel ſine vel cum ſale tartari ; Ex his omnibus tum ex ſubſtantia tum ex præparatis ejus præſcribuntur mixturæ. Ratione decocti illud notandum habeo, corticem Peruvianum pulveriſatum decoqui debere, & quidem diu ; coctionem enim fert longiorem absque ulla virium jactura ; ubi autem amarum corticis ſaporem faſtidiunt ægri nimium, vel a junioribus impetrari nequit, ut illud ingerant, tunc melle communi ſi pauperibus, ſyrupo granorum Kermes ſi ditioribus propinetur, edulcorandum erit.

Hac

Hac occaſione præterire non poſſum, etiam absque ulla re addita decoctum parari e cortice Peruviano poſſe, quod nec ſapore ingratum ſit, nec turbidum ſed amœnum, quod Magnif. de HAEN ita docet „: R. Pulv. Cort. Chinæ ℥iij. ſesquihoram coque cum ℔ij aquæ comm. Quieti, donec penitus refrixerit, committas, poſt quam charta emporetica dupla coles: liquorem colatum in chartam emporeticam infundas iterato, & liquorem in vitrum magnum, quod & charta emporetica tectum ſit, excipias. Nihil ultra, guſtavi quippe, ait Magnif. VIR, liquori ineſt ingrati, vinumque aut Tokaienſe, aut vetus Rhenanum & colore æmulatur & limpiditate. Non ſuccedit autem, ſi decoctum, priusquam coletur, haud penitus refrixerit „.

 

Aſt ægri nec corticem nec varia ejus præparata aſſumere volunt, quod ſæpius contingit medicis, tuto & ſucceſſu æquali clysmate injectum corticis decoctum idem efficiet, ita, ut unc. vj. ſaturati decocti nec nimis calidi ſerviant pro una injectione: uno autem alterove clysmate ex melle, cum ſale gemmæ vel ſimili prius tunc eluenda alvus eſt, ne fæces in craſſis inteſtinis hærentes obſtent, atque poſtea diutius clysmata ex cortice Peruviano parato vacuis inteſtinis retineri poſſint; ſed ſi æger ita eſſet conſtitutus, ut ne quidem clysma ſibi injici pateretur, ſi ſciret id eſſe decocto corticis paratum, tunc prudentia dictat, ne medicus expreſſe ſcribat in formula cortic. Peruv. aut Chinam, ſed obvellare quaſi debet & ægrum decipere ſcribendo v.g. R. Pulv. Patrum aut Pulv. Cardinalis Begatæ & Pharmacopæum monere, quid per pul-

veres

veres his titulis præſcriptos intelligat.

D. PEY aliam præſcribit methodum febres intermittentes cortice fugare; accepit videlicet ℥viij pulveriſati corticis, conſuit inter telam duplicatam, formavit inde ſpeciem thoracularum & nudo pectori ac abdomini per octiduum applicuit. Teſtatur ſe hac methodo omnium delicatiorum febres profugaſſe; ſimul tamen monet, quod aliquando doſim corticis, pro ratione ſubjecti & ſymptomatum gravitate, augere & repetere coactus fuerit.

Hæc de applicatione corticis ſufficiant; reſtat igitur, quid ægris cortice utentibus ſub ejus uſu faciendum incumbat; toto enim tempore ab omni evacuatione ſollicite cavendum eſt, unde SYDENHAMUS talibus ægris, quibus ex peculiari idioſyncraſia alvus mo-

veba-



vebatur a cortice Peruviano, uti a catarctico fortiori ſolet, ſimul laudanum dedit, ut hanc evacuationem & morbo & corticis operationi contraria tolleret. Idem alii ſe præſtitiſſe aſſerunt adjecto cortici rheo.

De ipſo tempore, quo cortex Peruvianus exhiberi debet, tenendum eſt, tutiſſimum eſſe finito paroxysmo ejus uſum incipere & diviſis doſibus illum ſic exhibere, ut debita ejus quantitas aſſumi poſſit, antequam ſequens expectetur paroxysmus; ubi vero febres intermittentes geminatis & productis paroxysmis indolem continuarum febrium æmulantur, uti in autumno ſæpe contingit, ſic ut tantum remiſſio non vero intermiſſio perfecta obſervetur, in tali caſu SYDENHAMUS tempore remiſſionis quam proxime a paroxysmo deſinente, quantum conjectura poterat aſſequi, incepit

cepit dare hoc remedium, & deinde quarta quoque hora ſic pergebat, ne quidem paroxysmum morans, quia non dabatur aliud tempus, quo debita corticis copia ingeri poſſit monetque feliciter ſucceſſiſſe ſemper hanc methodum, niſi aſſiduo lecti calore, vel cardiacorum callefacientium uſu, febres intermittentes in vere continuos fuiſſent mutatæ.

Ordinem exhibitionis eum maxime comendatum voluit SYDENHAMUS, ut debita quantitas diviſis doſibus ſic exhiberetur, ut æquali temporis intervallo ſingulis doſibus exhibitis omnis ejus copia aſſumta ſit, antequam ſequens paroxysmus expectatur: ſic v. g. ad quartanam curandam binis diebus intercalaribus dabat omni quadrihorio doſim corticis Peruviani, adeoque unciam ejus in xij partes æquales dividebat; ubi vero febrium intermittentium paroxysmi mi-



nus diſtant a ſe mutuo, ſæpe non adeo tutum videtur breviori tempore tantam copiam ingerere, ut omnis hæc quantitas ante futurum paroxismum aſſumi poſſet; ſic quidem non penitus tollitur proxime ſecuturus febris inſultus, minui tamen plerumque ſolet, & deinde pergendo tempore intercalari in corticis uſu cura perficitur.

Præparata corticis eandem doſim non habent, ita extractum corticis ad ſcrupulum datum drachmæ unæ æquivalere dicitur; ſalis eſſentialis drachma una unciæ integræ ſubſtantiæ vires habet. Reliqua decocta & infuſa immo & hic memorata pro magnitudine morbi ſæpius augenda ſunt.

Neceſſitas nonnunquam urget medicos febres ſuffocare, ſed neceſſitate hac ceſſante febris rurſus revocanda eſt,

quod



quod optime præſtatur, ſi talis exceſſum in ſex rebus non naturalibus faciat, ſi purgantia repetita dentur. Tandem ſi per hæc reſuſcitari febris nequeat, ſpiritus ſalis ammoniaci revocabit certo.

Hæc ſunt quæ de uſu corticis in intermittentibus conſcripſi, exigua quidem, aſt ſincero animo elaborata, ut a quovis errati vel non ſatis erudite conſcripti veniam ſperem.

